INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

A DIE VIII. APRILIS ANNI MDCCCLXI.

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT DE REI SCHOLASTICAE IN WARMIA ORIGINE AC PROGRESSU OBSERVATIONUM PARTICULA ALTERA.

BRUNSBERGAE,
TYPIS HEYNEANIS.

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. LAUR. FELDT,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

In Indice Lectionum hiemalium anni 1857 de rei scholasticae in Warmia origine ac progressu disputare instituimus, sed quaestionem susceptam nondum absolvimus; restat, ut scholarum, quae olim hic fuerunt, vestigia longius prosequamur.

Ad cathedralem igitur scholam ut redeamus, quae, si non primo [1], at certe altero episcopo Warmiensi vel a rectore quondam Culmensi [2] vel a Volquino scholastico [3] inter temporis spatium 1289 — 1297 iam aperta est et tertii episcopi temporibus Bertholdo scholastico moderatore (1308—1317) iam effloruit [4], eius etiam postea, quamquam nemo canonicorum ab eo tempore amplius scholastici nomen gerit, non raro fit mentio.

Sic in tegumento libelli, quo antiquissima civitatis Brunsbergensis matricula continetur, inter alia annotatum legitur, hiberno tempore anni 1346 in schola latina Warmiensi magnam multitudinem sociorum et scholarium fuisse [5]; in literis anno 1393 et 1407 et 1422 scriptis de reditibus aliquot partim inter rectorem scholarum et succentorem partim inter pauperes scholares ecclesiae cathedralis distribuendis sermo est [6]; ex literis capituli anno 1426 scriptis comperimus, eo tempore Matthiam quendam de Reddin rectorem scholarum apud ecclesiam cathedralem fuisse [7]; et paullo post inter canonicos Warmienses professor theologiae Laurentius de

[1]) Cf. Wölky et Saage, Cod. dipl. Warm. I. 48, p. 85 sq.

[2]) Cod. d. Warm. I. 79 sqq. p. 138, 139, 140, 144, 146. Praeter hunc rectorem quondam Culmensem ibi etiam quattuor magistri artium inter canonicos Warmienses nominantur.

[3]) Cod. d. Warm. I. 98 p. 171.

[4]) Cod. d. Warm. I. 195 p. 335. De Bertholdo scholastico cf. I. 142 sqq. p. 248, 259, 261, 266, 269, 276, 279, 289, 312, 336. Sambiensis scholae cathedralis constitutio in annum 1304 incidit; cf. Gebser Dom zu Königsberg p. 63.

[5]) „Anno domini M°CCC°XLVI° a festo circumcisionis dni usque ad carnisprivium fuit magna sociorum multitudo et scolarium in scula latina Warmien." Exstat libellus, in cuius involucro haec leguntur, in curia Brunsbergensi et inscriptus est: „Hic est libellus civitatis."

[6]) Cf. Cod. d. Warm. I. pag. 335 not. 7; pag. 440 not. 1; Archiv. capit. Warm. J. 16. (Cf. Document. I.)

[7]) Archiv. capit. Warm. J. 7.

Heilsberg commemoratur, qui anno 1443, quo obiit[8]), bibliothecae Warmiensi, quum alia opera, tum calendarium astronomicum et artem rhetoricam et scripta quaedam Ciceronis, uno volumine comprehensa, legavit, quae, a Suecis post ablata, nunc Romae in bibliotheca Vaticana servantur.[9]). Comprobatur his testimoniis, apud ecclesiam cathedralem Warmiensem quondam scholam fuisse, in qua, ut in Germanicis scholis cathedralibus, vel a canonicis (inter canonicos Warmienses iam anno 1287 complures magistri artium fuerunt) vel a rectore scholarum et succentore sociisque eorum tam theologicae disciplinae quam artes liberales traderentur, eamque certe usque ad exitiale illud bellum stetisse, quo tota Warmia una cum magna parte reliquae Prussiae sub imperium ditionemque Polonorum cecidit. Sed hoc bello inde ab anno 1454 usque ad annum 1466 gesto, ut curiae canonicorum incendio deletae sunt[10]), ita schola cathedralis sublata videtur; nam in literis aliquanto post scriptis aut de construenda schola cathedrali agitur[11]), aut de schola, quae olim apud ecclesiam cathedralem fuerit, sermo est[12]).

Praeter cathedralem vero scholam clericis instituendis potissimum inservientem, iam statim ab initio episcopatus etiam inferiores scholae in dioecesi Warmiensi et quidem disperse per totam dioecesim apertae sunt; de talibus enim scholis constituendis anno 1251 iam primus episcopus Warmiensis, simulac dioecesim suam intravit, cum fratribus domus Teutonicae pactionem fecit[13]). Sed de paucis tantum ex hoc genere scholis aliquid memoriae proditum est.

Gravissimum est hoc, quod in constitutionibus civitatis cuiusdam ab Hermanno episcopo (1338—1350) confirmatis cives monentur, ut liberos suos ad pietatem colendam educare studeant, eosque in schola sua duce pio doctoque magistro ad legendum, scribendum, canendum, computandum erudiendos curent[14]). Similiter in actis Brunsbergensibus inde ab anno 1381 scriptis plus semel tutoribus liberorum hoc iniunctum legitur, ut pupillos suos ad scholam

---

[8]) Ex epitaphio eius, quod in ecclesia cathedrali legitur: „Anno dni M.CCCC.XLIII. XVII die aprilis obiit egregius et ven. magister Laurentius Heilsberg, sacre theologie professor canonicus Warmiensis.“ De alio Laurentio Heilsberg, qui anno 1326 inter testes commemoratur, cf. Cod. d. Warm. I. p. 379; Henricus Heilsberg de Vogelsang fuit episcopus Warm. 1401—1415. Ex eadem familia, nisi fallimur, originem duxit Laurentius ille Heilsbergk, qui circiter annum 1611 annales scripsit; cf. Erläutert. Preuss. V. p. 10.

[9]) Dr. Lämmer, Analecta Romana. 1861 pag. 61 not. 4. Quattuor codices Warmienses, per Christinam Succiae reginam Romam translatos, in bibliotheca Vaticana se reperisse dicit, 136, 941, 1481, 1511; deinde haec adjungit: „Namentlich den letzteren (Codex) habe ich untersucht. Er führt den Titel: „Liber Bibliothecae Warmiensis,“ ist eine schöne Pergamenthandschrift aus dem 13. Jahrhunderte mit farbigen und vergoldeten sinnbildlichen Initialen und umfasst auf 80 Seiten einen astronomischen Kalender, eine Rhetorik und die Copie einiger Ciceronianischen Schriften. Auf der Rückseite von fol. 3 steht der Vermerk: „Hunc librum artis rhetorice legavit Dominus Magister Laurentius de Heilsberg sacre theologie professor pro libraria Warmiensi.“

[10]) Plastwig. p. 26. 29. Treter p. 44, coll. p. 62.

[11]) Anno 1489 in testamento Nicolai de Tungen episcopi (Archiv. episc. Warm. D. 106), anno 1501 et 1509 in literis capituli et Lucae Watzelrode episcopi (Archiv. episc. D. 65 fol. 24. Memoriale Lucae fol. 200).

[12]) Anno 1500 in literis de villa Darethen, Archiv. capit. Warm. C. 105.

[13]) Cod. d. Warm. I. 27. p. 50.

[14]) Archiv. curiae Brunsberg. 53 (Mandata etc.) p. 281 sq.: „Item. Es soll ein jeder frommer Bürger seine Kinder zu der Forcht Gottes undt aller Tugend und Ehrbarkeit von Kindheit anhalten, weile an der Auferziehung der Kindheit viel gelegen undt dieselbe zum wönigsten in der Lehrschule unter frommen, gelehrten, exemplarischen Schulmeistern mit Lesen, gut Schreiben, Singen und Rechnen lehrnen woll auferziehen lassen, damit die Stadt mit gottesfürchtigen Leuten gut besetzt undt von Gott dadurch möge gesegnet werden. Worüber nebenst den Pfarrherrn auch Bürgermeister undt Beambte fleissige Obacht haben sollen.“ Transscriptae sunt constitutiones civitatis, e quibus haec protulimus, in librum 53 civitatis Brunsbergensis; ipsae constitutiones ab Hermanno episcopo Warmiensi (cf. l. c. p. 225) confirmatae aut civitatibus Warmiensibus in universum ad imitandum propositae sunt.

frequentandam adhortentur[15]. Anno 1403 inter magistratum et parochum Brunsbergensem hoc convenit, ut novum tam magistrum scholarum quam campanatorem suo quemque muneri cum consilio et consensu parochi magistratus praeficiat, sed utrumque simul in omnibus rebus antiquitus ad ecclesiam pertinentibus parocho obedire iubeat[16]. In literis anno 1344 scriptis scholaris in curia Wormdittensi sustentandi mentio fit[17], item scholarium Resseliensium anno 1461 in testamento Arnoldi de Venrade canonici[18]. Guttstadiensis civitas, ex quo ecclesiam collegiatam accepit[19], aucta est schola capitulari, quae qualis fuerit, inde quodammodo coniicere licet, quod decano canonicorum, qui ecclesiae praefuerunt, in vicarios, scholasticum, cantorem, campanatorem, organistam, socios scholastici et reliquos ecclesiae ministros iurisdictio fuit[20]; anno 1379 Nicolaus Grotkau canonicus testamento suo, quum aliis, tum rectori huius scholae et scholaribus Guttstadiensibus certam quandam summam pecuniae legavit[21]. Heilsberga, ut reliqua Warmiae oppida, scholam habuit parochialem[22]; sed condita arce[23] accessit schola episcopalis in ipsa arce aperta ad erudiendos Pruthenorum iuvenes in altiora literarum studia incumbentes. Meminit huius scholae praeclarae, sed suo tempore iam sublatae Lucas David et notum sibi fuisse ait parochum quendam in hac schola quondam institutum, qua occasione episcopos Warmienses testatur instituendae iuventuti multo diligentius consuluisse, quam domus Teutonicae fratres[24]. Plura anonymus quidam de hac schola memoriae prodidit, nonnullis quidem immixtis, quae a fide abhorrent, sed in summa rei cum Luca Davide consistens. Inter alia refert scholam illam a Joanne Streifrock episcopo, quum Avenione, quo electus, ut a summo pontifice confirmaretur, se contulerat, domum rediisset (1355), in arce Heilsbergensi institutam esse, hoc officio ipsi a pontifice (Innocentio VI) iniuncto, ut duodecim iuvenes Pruthenos suis impensis educandos curaret, ne populus parochis idoneis careret. Pariter etiam canonicos Warmienses educandis atque instituendis Pruthenis aliquot iuvenibus consuluisse[25]. Sed Francisco episcopo (1424—1457),

---

15) Archiv. curiae Brunsberg. 84 (Acta praetor.) fol. 8. 50. 51 („sal den Jungen czur Schule halden etc.“). Cf. Document. II.

16) Archiv. curiae Brunsberg. 84 (Acta praetor.) fol. 22 B. Cf. Document. II.

17) Archiv. episcop. Warm. C. 1. Lib. privil. antiq. fol. 37. 18) Archiv. episc. Warm.

19) Factum hoc est anno 1347. 20) Cf. Liber Processuum in Archivo episc. Warm. A. 84 fol. 112.

21) Transsumpta privileg. et iurium Capit. Guttstad. p. 417.

22) Heide, Archiv. vet. et nov. Heilsberg. ms. ad annum 1497.

23) Cf. Eichhorn Zeitschr. f. Gesch. u. Alterth. Erml. I. p. 113.

24) Lucas David. Preuss. Chron. II. p. 122. Cf. Ind. Lect. 1857—58 p. 6 not. 16.

25) Cf. Append. ad Plastwig. Chron. Varm. p. 49 sq. A vero aberranns Joannem Streifrock episcopum viginti annos Hermanni episcopi vicarium ipsiusque in episcopatu successorem fuisse dicit. Praeterea lepide quidem, sed parum probabiliter narrat, pontificem, quum ipsum linguae Prussicae imperitum esse Avenione cognovisset, in eo fuisse, ut ipsius camerarium, iuvenem Pruthenum, universitatis Pragensis alumnum, dioecesi Warmiensi episcopum praeficeret: „Praesentatis literis et investigata causa Dominus sanctissimus fecit verbum Electo dicens: Iste puer cuius idiomatis est? Electus respondit: Prutenus. Papa immediate protulit haec verba: O sanctissime Deus, sunt isti Pruteni tam bene dispositi? Nobis autem dictum est, quod est populus deformis et indispositus. Scitne puer iste literas? Adjecitque Papa: Fili, scis literas? Immo, Sanctissime. Afferatur liber. Fili, lege! Intelligis tenorem scripti? Respondit: immo, et exposuit. Modico intervallo interposito Papa loquebatur Electo: Domine Electe, scitis Vos linguagium istius terrae? Qui respondit: Non. Papa: Et quomodo potestis intelligere populum? Tum respondit: Per interpretem. Papa: Durum est informare populum per interpretem. Est nova plantatio, necesse est ut haberetis (sic!) plures in suo linguagio; Dominus Deus omnipotens misit discipulos suos in universum mundum, instinctos spiritu sancto, scientes omnia genera linguarum, qui multum fructum attulerunt. Post paullulum dixit Papa Electo: Iste puer ex parte idiomatis dignus est ista ecclesia, et dixit: Fili, istam ecclesiam conferimus tibi et committimus populum eiusdem in animam tuam. Et recesserunt de Palatio. Idem Nicolaus videns Dominum suum tribulatum et angustiatum, dum esset in hospitio, dixit hilari vultu: Domine Venerabilis, nolite tristari ad verba haec. Quamvis Dominus Optimus respexit me et Sanctissimus Papa cum ista Ecclesia, qua ego non sum dignus, ergo resigno Vestrae Paternitati. Etc.“

haec schola, si anonymo illi fidem habemus, sublata est, nescio an aeque ac schola cathedralis propter turbas belli, quod anno 1454 exortum usque ad annum 1466 saeviit.

In ea dioecesis Warmiensis parte, quae ad Ordinis Teutonici ditionem pertinuit, antiquitus excelluit schola Elbingensis; anno 1381 Regiomontani desiderarunt scholam, in qua artes liberales aeque atque in schola Elbingensi colerentur[26]. In privilegio civitatis Mulhusiensis anno 1338 Ordinis Teutonici magister generalis collationem scholarum sibi reservavit, campanatoris munus civibus ac plebano commisit conferendum[27]. Velaviensi civitati anno 1339 facultas concessa est, scholam suam curae viri idonei et literati committendi[28].

In nonnullis civitatibus praeter parochialem etiam monasterialis schola videtur fuisse. Elbingi enim iam anno 1238 monasterium conditum est fratrum praedicatorum[29], Brunsbergae ante annum 1311 monasterium fratrum minorum[30], Resselii anno 1347 monasterium fratrum S. Augustini[31], item procedente tempore alia in oppidis Wartemburg, Heiligenbeil, aliis[32]; et monachi, quum alioquin ubicunque potuere scholas aperuerunt, tum ob id ipsum in Prussiam missi sunt, „ut neophytos et alios verbo docerent et exemplo“[33]. Brunsbergensi autem monasterio anno 1318 Joannes natione Pruthenus Guardianus praefuit[34]; non improbabile igitur, in hoc monasterio, priusquam schola episcopalis in arce Heilsbergensi aperiretur, iuventutem Pruthenicam literis et doctrina sacra institutam esse. Anno 1326 iam Albertus natione Pruthenus civitati Wormdittensi plebanus praefuit[35]; item inter camerarios et interpretes episcoporum et inter testes privilegiorum iam inde ab Henrici Flemming episcopi temporibus tam Pruthenorum quam Germanorum nomina leguntur[36]; scholae igitur fuerint necesse est, in quibus Prutheni literis instituerentur.

Num etiam in villis parochialibus, ut in oppidis, statim ab initio episcopatus scholae apertae sint, dubitatur. Voigtius enim ne Winrici quidem a Kniprode temporibus certa scholarum ac ludimagistrorum vestigia in villis Prussiae reperiri contendit[37]. Sed anno 826 iam universo clero ab Eugenio II papa hoc iniunctum erat, ut suo quisque in oppido episcopus, sua quisque in plebe parochus magistros literarum instituerent, qui „studia literarum liberaliumque artium habentes dogmata assidue docerent“[38], et ipsorum parochorum antiquitus fuit, si non omnem iuventutem, at certe catechumenos doctrina sacra instituere. Quare fieri vix poterat, ut iuventutis institutio a parochis villarum Prussicarum plane negligeretur. Omnis autem in hac re dubitatio tollitur eo, quod in villarum veterum privilegiis non

---

26) Gebser Dom zu Königsberg p. 158. Arnoldt Historie der Königsberger Universität I. dipl. 2.
27) Voigt. Cod. d. Pruss. III. 11, p. 21.
28) Werner. Gesammelte Nachrichten zur Ergänzung der Preuss. Geschichte. I. 16, p. 117. Cf. Voigt. Gesch. Preuss. IV. p. 553 not. 3. In diplomate oppidi Freistadt anno 1331 magister scholarum inter testes commemoratur; cf. Voigt Gesch. Pr. V. 386.
29) Cod. d. Warm. I. 1. p. 1. Cf. I. 4, p. 5.
30) Voigt Cod. d. Pruss. II. 66, p. 78.
31) Neunter Jahresbericht über das Königl. Progymnas. zu Rössel 1841 p. 13.
32) Treter de episc. Varm. init. Voigt. Gesch. Preuss. VI. pag. 760 not. 1.
33) Cod. d. Warm. I. 4, p. 5. Cf. Raynald. 1234, nr. 58; 1231, nr. 42.
34) Cod. d. Warm. I. 188, p. 324.
35) Cod. d. Warm. I. 224, p. 379.
36) Cod. d. Warm. I. pag. 106, 116 (coll. 245), 130, 152, 240, 243, 245, 281, 285, 294, 302, 328, 486, 499 al.
37) Voigt. Gesch. Preuss. V. p. 386; VI. p. 755.
38) Mansii Collect. Concil. XIV. 1008 (Synod. Rom. 826, can. 34.).

raro de scholaribus campanatorum sermo est. Talium enim privilegiorum non pauca exstare, ipse Voigtius testatur, ubi Winrici de re scholastica merita examinat[39], et hoc tantum dubium ei videtur, quales scholares illi fuerint[40]. Sed quum aliunde tum ex literis villae Guestfalicae Bigge anno 1270 scriptis, quas Seibertzius edidit, comperimus[41], campanatorum vel custodum ecclesiasticorum quondam fuisse, iuventutem quotidie in scribendo ac legendo instituere. A campanatoribus igitur olim scholares iisdem fere artibus informati sunt, quibus nunc a ludimagistris informantur. Tales vero campanatores ludimagistrorum officio fungentes etiam in Warmiensibus literis et quidem Cromeri etiam temporibus commemorantur. Sic in Actis Visitationis generalis ab hoc episcopo habitae, ubi de villa Plastwig agitur, annotatum legitur, campanatorem huius villae iam sedecim annos ludimagistri officio fungi et scholam pro campanatore satis esse commodam[42]. Accedit, quod etiamnunc in plerisque villis parochialibus ludimagistri campanatorum simul officio funguntur multisque locis tales ludimagistri ab officio suo ecclesiastico etiamnunc campanatores vel custodes vocantur. Inter campanatores igitur maiorum nostrorum et ludimagistros nostros ipsius muneris ratione nullum discrimen est, praeterquam quod campanatores illi magistrorum simul officio functi sunt, nunc ludimagistri campanatorum simul officio funguntur. Nomen tantum procedente tempore mutatum est; itaque non est mirum, quod, quem mansum agri in privilegio villae Tolksdorf anno 1300 capitulum Warmiense campanatori assignat possidendum[43], eundem nunc, ut Cromeri episcopi temporibus[44], ludimagister huius villae possidet. Ceterum alia scholarum in villis, quam in oppidis, fuit ratio; in his enim non campanatores, sed magistri vel rectores scholis praeerant. Nonnunquam tamen vel campanatores satis eruditos fuisse, ex eo intelligitur, quod circiter annum 1392 in villa Thiergart campanator fuit, qui ante in Germania abbatis munere functus erat[45].

Non licuit nobis de omnibus ac singulis scholis, quae olim in Warmia fuerunt, testimonia colligere. Sed manifestum est, antiquissimis temporibus rei scholasticae hic melius

---

39) Voigt. Gesch. Preuss. V. p. 386 not. 1: „In einigen Urkunden wiederholt sich die Bestimmung für die Dorfbewohner (T. VI. p. 744: Es heisst häufig): „„Ouch was Gertener von dem Schultheissen adir von den ynwonern in demselben dorffe gesaczt werden, der sal iglicher dem pfarrer eynen schilling geben czu messepfennige vnd seinem Glockener sechs pfennige czu schülerlohn (T. VI. p. 744: czu schülerlohn alle Jor).““

40) l. c.: „Es bleibt zweifelhaft, ob hier von einer Schule oder nicht vielmehr von Messeschülern die Rede ist.“ Sed quis unquam de scholaribus missalibus (Messeschülern) quidquam audivit? quid didicerunt? Ministros missales (Messediener) novimus; sed a ministrando nemo unquam scholaris dictus est; nec unquam villanus quisquam campanatori suo quotannis mercedem persolvit, ut filioli sui ministri missales fierent.

41) Seibertz, Urkundenbuch zur Geschichte des Herzogthums Westfalen, I. p. 434: „Hirto sall de Küster (Glöckner) — glyker maatten verbunden syn, — wenn der pastor nit ander verordnen wirtt, die Kirspels Jugentt in schriben vntt lesen den summer morgens von siben, des wintters von achten bis teen vhren vnd nachmittdags des summers von een bis drey oder vir, des wintters bis drey vhren in eegener person stetts dergestalt vntterrichten, das darüber keene Klag erfolgt, etc.“

42) Cf. Acta visitat. anno 1581 habitae in Archivo episc. Warm. B. 2, p. 99: „Examen Campanatoris (sc. in villa Plastwig). Nomen Campanatoris Abraham Carolus natione Thuringus etc. Schola pro campanatore satis est commoda.“

43) Cod. d. Warm. I. 109, pag. 191. Praeter consuetudinem campanatori villae Tolksdorf, quae ab Henrico interprete (cf. p. 193, 216, 401) nomen ducit (Tolk enim interpretem significat), totus mansus agri collatus est. Cur?

44) Cf. Acta Visitat. anno 1581 habitae. l. c. B. 2. p. 107 B: „Examen ludimagistri (sc. in Tolksdorf). Ludimagistri nomen est Lasarus Ludwig, tabernatoris huius villae filius, annorum circiter 50, uxoratus, bonae famae, catholicus, callens cantum ecclesiasticum; fecit professionem fidei in manibus parochi, qui eius capita ipsi latine non satis intelligenti explicavit. Praeest huic officio ab annis 5. Parochus bonum illi dedit testimonium diligentiae et probitatis. Ludimagister habet mansum unum a censu et operis rusticis et quovis alio onere liberum antiquitus ad campanatorem huius villae pertinentem, quem ipse opera sua colit etc.“

45) Voigt. Gesch. Preuss. V. p. 579.

consultum fuisse, quam inde a Polonorum dominatione usque ad id tempus, quo Hosius Cardinalis rei scholasticae Warmiensis curam suscepit. Etenim tam Pruthenorum quam Germanorum, tam villanorum quam civium desideriis prospectum erat, et in cathedrali schola omnes disciplinae tradebantur clericis eo tempore colendae. Quam eruditi scholarum rectores et magistri fuerint, quam bene praeparati scholae cathedralis alumni ad suscipiendum parochi munus dimissi sint, nescimus. Hoc tamen constat, quum canonicos, tum episcopos, qui ecclesiae Warmiensi praefuerunt, antiquitus in universum tam doctrina, quam civili prudentia et negotiorum publicorum peritia excelluisse. Iam primus episcopus Warmiensis Anselmus, a sede apostolica dignus habitus est, qui legati apostolici per Bohemiam et Moraviam et Rigensem et Gnesnensem et Salisburgensem dioecesim munere ornaretur duobusque proximis sub successoribus praeter Volquinum et Bertholdum scholasticos iam quinque magistri artium in capitulo fuerunt[46]. Hermannus episcopus idemque „doctor decretorum eximius in curia papae auditor rotae," teste Joanne Plastwig „in aedificationem fidei" iam libros edidit[47]. Item reliqui episcopi vel a rerum scriptoribus iam omni laude cumulantur vel iis, quae gesserunt, his decessoribus suis se dignos praebuerunt. Franciscus denique episcopus, ut ipse doctor decretorum fuit, ita tres doctores iuris utriusque in capitulo socios habuit[48], et ipse magister Ordinis Teutonici eo tempore capitulum Warmiense rogavit, ut ipsi unum doctorum suorum canonicorum mitteret, cuius auxilio ad suas cum rege Polonorum controversias dirimendas uteretur[49].

Tot illustrium virorum exempla non sine momento fuisse ad excitandos iuvenum Warmiensium animos, hoc indicio est, quod mature iam hic fuisse comperimus literarum studiosos, qui frequentatis scholis Warmiensibus etiam peregre aliquamdiu in literis artibusque ingenuis versarentur. Ut enim mittamus, quod Nicolaus Gerke de Hogenberg Pruthenus, Joannis Streifrock episcopi camerarius, iam ante annum 1355 in universitate Pragensi studiis se dedisse traditur[50], ex literis anno 1367 scriptis comperimus Henricum Gerdonis Brunsbergensem complures annos Parisiis in artium studia incubuisse[51], in Actisque Brunsbergensibus anno 1370 de iuvene sermo est, cui, si sacerdos fieri velit, dum scholam frequentet, debitor quidam vestimenta et victum dare, si studiorum gratia peregre proficisci velit, sex marcas nummorum quotannis solvere debeat[52]. Praeterea etiam, qui populares hic fuerunt episcopi, Henricus Sorbom Elbingensis, Henricus Heilsberg de Vogelsang, Joannes Abezier Thorunensis, Franciscus Resseliensis, ii omnes non solum patrias scholas frequentaverant, sed etiam peregre aliquamdiu in literarum studia incubuerant; nam Henricus Sorbom Caroli IV. Romanorum imperatoris Pragae notarius fuerat[53], Joannes Abezier et Franciscus doctoris

---

46) Cod. dipl. Warm. I.

47) Plastwig. Chron. Varm. p. 6.

48) Treter de episc. Varm. p. 44.

49) Cf. Document. III.

50) Cf. Append. ad Plastwig. p. 48 sq.: „Idem Nicolaus, qui fuit studens Pragensis etc." Hermannus episcopus Praga in Warmiam venerat.

51) Aug. Theiner, Vetera Monumenta Poloniae et Lithuaniae etc. Romae 1860. T. I. p. 647.

52) Archiv. curiae Brunsberg., Act. praet. 84, fol. 43 B. (cf. Document. II.): „wil her durch lernunge willen vs dem lande zcien, zo sal heynrich schotele al iar ym senden sechs mark pfennige." Minus recte Voigtius Gesch. Preuss. VI. p. 755 not. 2: „Als Seltenheit für die frühere Zeit möchte wohl gelten, dass einer, der Priester werden wollte, und in Braunsberg zur Schule ging, in den Jahren 1380—90 beabsichtigte, „durch lerunge willen us dem Lande czu czien," und sich zur Unterstützung sechs Mark Pfennige erbat."

53) Plastwig. p. 12.

decretorum dignitatem sibi comperaverant[54]. Nicolaus denique Sauer Brunsbergensis magistri generalis ordinis Teutonici Ludovici de Erlichshausen (1450—67) impensis ad prosequenda sua studia aliquamdiu Bononiae versatus est[55].

Hoc peregrinandi studium eo potissimum in iuventute Warmiensi excitatum videtur, quod in cathedralium scholarum locum, quales in Prussia erant, ipsius sedis apostolicae auctoritate et impulsu primum in Italia et Gallia, post inde a Caroli IV. temporibus etiam in Germania et Polonia sensim literarum universitates successerant. Prussia enim tali instituto carebat, quamque Urbanus IV papa anno 1387 Culmiae erigi iusserat literarum universitatem, — „ut fides ipsa dilataretur, erudirentur simplices, aequitas servaretur, iudicii vigeret ratio, illuminarentur mentes et intellectus hominum illustrarentur," — eam temporum iniquitate nunquam surrexisse constat[56].

Inde a bello tredecim annorum usque ad Hosii Cardinalis tempora dioecesis Warmiensis etiam cathedralis scholae beneficio caruit. Omnibus igitur ad altiora studia incubituris inter hoc temporis spatium peregre proficiscendum erat. Et alii quidem frequentata schola Culmensi, quae a fratribus communis vitae aperta anno 1473 effloruit[57], Lipsiam se contulerunt, ubi Thomas Wernerus canonicus Warmiensis, quum aliquamdiu professoris academici munere functus esset, anno 1498 non solum stipendium Brunsbergense condidit, sed etiam collegium Pruthenorum constituere coepit[58]; alii Cracoviam, Paduam, Bononiam[59], alii Francofurtum, Erfordiam[60] abierunt; Eustachius a Knobelsdorf Heilsbergensis non solum Francofurti, Lipsiae, Wittenbergae, sed etiam Lovanii, Parisiis, Romae ad studia incubuit[61].

Neque tamen intermiserunt episcopi Warmienses de constituendis in dioecesi sua novis scholis ad altiora studia colenda idoneis cogitare. Nicolaus enim de Tungen episcopus anno 1489 „pro schola apud ecclesiam construenda et instituenda et pro refectione et vestitu pauperum scholarium legavit centum et viginti marcas bonas"[62]. Lucas Watzelrode episcopus non solum scholam fratrum communis vitae, de humanitatis studiis optime meritorum, sed etiam universale studium h. e. literarum universitatem in dioecesi sua constituere studuit. De nova enim schola aperienda, fratribus Culmensibus bis invitatis, anno 1501 cum capitulo suo, de literarum universitate constituenda paullo post cum senatu Elbingensi transegit; sed capitulum praeter locum ad scholam idoneum non statim quidquam certi fratribus illis assignare potuit; senatus Elbingensis preces et consilia episcopi repudiavit[63]. Postea, quamquam semper Warmia egregios literarum fautores habuit, in his Nicolaum Copernicum, Joannem Dantiscum, Tidemannum Gise, hoc imprimis memorabiles, quod humanitatis studia,

---

54) Plastwig. p. 17. 18.
55) Voigt. Geschichte Marienburgs, p. 387.
56) De privilegio huius academiae cf. Das gelahrte Preussen. T. II. p. 417 sqq. Duellii hist. ord. eq. Teut. I. p. 35, Arnoldt. l. c. I. docum. 3, p. 5, Programm der höhern Bürger- und Stadtsch. zu Culm. 1855. p. 14 coll. Voigt. Gesch. Preuss. V. p. 491.
57) Programm des Königl. kathol. Gymn. zu Culm f. d. Schulj. 1856—57 p. 3. Programm d. höhern Bürger- und Stadtsch. daselbst. 1855. p. 2.
58) Archiv. curiae Brunsb.: Acta de stipendio Werneriano. V. 1. Inter alios Lucas David hoc stipendio fruitus et praeterea etiam a Capitulo Warmiensi sublevatus est (ib. p. 29).
59) Gassendi, Nicol. Copernici vita p. 292 sqq.
60) Cf. Jöcher, Gelehrten-Lexicon s. v. Willich, Jodocus.
61) Hipler, Joh. Dantiskus und Nicol. Copernicus Gedichte. Münster 1857, p. XL al.
62) Archiv. episc. Warm. D. 106.
63) Archiv. episc. Warm. D. 65 fol. 24. Memoriale Lucae fol. 200. Cf. Document. IV et V.

in Italia renata et tam Polonis quam Germanis avide excepta, in Prussiam propagarunt, tamen turbis in ecclesia ortis prohibiti sunt episcopi, quominus Nicolai de Tungen et Lucae Watzelrode consilia prosequerentur, donec Hosius Cardinalis iuges ac perennes Warmiae reclusit disciplinarum fontes et omni generi literarum fixam mansuramque hic paravit sedem.

Beckmann.

Documenta.

I.

Hermannus de Mundo Canonicus Warmiensis anno 1422. die 18 mensis Decembris pistrinae constituendae ducentos et triginta florenos Ungaricales legat, ut scholaribus ecclesiae cathedralis panes et cerevesiam praebeat magistri scholarum cura distribuendam.

Archiv. Capit. Warm. J. nr. 16 (Cf. Statuta nonnulla antiqua S. nr. 1).

In nomine domini amen. Anno a natiuitate eiusdem Millesimo Quadringentesimo vicesimo secundo Indiccione XV die vero decima octaua mensis Decembris Hora vesperorum vel quasi Pontificatus sanctissimi in christo patris et domini nostri domini Martini diuina prouidencia pape quinti Anno Sexto In loco Capitulari Ecclesie Warmiensis et In mei Notarij publici et testium infrascriptorum ad hoc vocatorum et rogatorum presencia personaliter constituti venerabiles et Circumspecti viri videlicet domini Franciscus Prepositus Bartholomeus Decanus Fredericus Cantor Johannes Rogetteln Johannes Namslaw Arnoldus Hüxer Johannes Rex Hermannus de Mundo Johannes Hermannsdorff Johannes Calle Nicolaus Grenewitz et Peregrinus de Czegenberg Canonici totumque Capitulum Ecclesie Warmiensis In loco Capitulari ad sonum Campane Capitulariter congregati Specialiter et expresse ad tractandum et disponendum de et super nonnullis incomodis et dampnis ac hostium deuastacionibus immaniter ac miserabiliter proxime perpessis et presertim in bonis et villis pro sustentacione Pistorie nostre specialiter deputatis vnde nedum nobis et Capitulo nostro verum eciam pauperibus alienigenis et egentibus et ex hoc ad Ecclesiam nostram plerumque confluentibus elemosine et pietatis opera ministrari consueuere nostro pro posse sathagentes dampna et incomoda adeo grandia et nociua euenerint, quod eciam de eorum pristina reformacione uerisimiliter hesitatur Que omnia et singula prout notoria sunt venerabilis vir dominus Hermannus de Mundo dilectus noster Confrater sincera mentis affeccione cordeque compaciendi ad animum reuocans et tociens quociens eisdem tractatibus nobiscum presencialiter affuisset Tandem diuini amoris zelo accensus pro restauracione et reformacione omnium premissorum quantum in eo foret confisus in domino de bonis sibi adeo collatis Ducentos et Triginta florenos vngaricales boni auri et iusti ponderis valoris communi estimacione patrie prussie Centum et septuaginta quinque marcharum melioris monete Prussie nunc currentis in parata et numerata pecunia legali donacione inter viuos nobis et Capitulo nostro realiter et de facto tradidit et per nos solempni stipulacione interueniente receptis assignauit Infrascriptis tamen condicionibus et pactis adiectis Inprimis videlicet quod ex nunc et deinceps perpetuis futuris temporibus singulis annis omnique mense Sexaginta panes de Siligine communi Capituli nostri pistos et coctos ad modum et formam nobis et cuilibet nostrum pro tempore ministrari consuetum duobus pauperibus uel pluribus per ipsum dominum Hermannum quod vixerit ad hoc eligendos (sic) *de Pistoria nostra septimanis singulis et diebus quibus distribuciones panum huiusmodi fieri contingat dentur et assignentur Sic tamen quod recipienti vna ebdomada octo panes, sequenti septem tantum recipiet et ita demum alternatiue continuetur cum eisdem Post obitum vero ipsius domini Hermanni eleccio et deputacio pauperum huiusmodi ad nos et Capitulum nostrum perpetuo pertinebit Qui quidem eciam pauperes sine aliqua personarum accepcione pure propter deum recipi et recepti per vnum annum tantum continuari debeant et demum sequenti anno alij duo ad huiusmodi elemosinas simili modo assumantur et eligantur ut prius Quodque ijdem pauperes de condicionibus et statu sint illorum*

pauperum que wlgariter husarmen nunccupantur recipi debeant et assumi Insuper ut pauperibus Scolaribus pro eorum conuictu scholastico vberius supportando et Campanatoribus Ecclesie nostre pro tempore existentibus simili modo futuris perpetuis temporibus Magister pistorie nostre singulis ebdomadis per Aduentum domini usque ad Octauas Natiuitatis christi et consequenter ad octauas Epiphanie domini inclusiue et demum per totam xlam usque ad octauas pasche et in festiuitatibus Penthecostes ac deinceps in omnibus festiuitatibus totis duplicibus et octavas habentibus vnam Tonnam communis mensualis potus qui est secunda cerevisia prout nobis et cuilibet nostrum ministrari consueuit dare et assignare teneatur et sit asstrictus et suis proprijs famulis equis curru et tonnis ad scolas communes vel alium locum eis conuenientem ducere teneatur quodque si per euentum aliquem huiusmodi distribucio siue panum siue cerevisie impedita fuerit vel neglecta quouismodo quod ex tunc in proxima distribucione eorundem neglecta huiusmodi integraliter et plene persoluantur omni fraude et dolo cessante Quodque Magister scolarum siue Succentor vel vterque ipsorum habeant curam inficiendo debite distribui ipsum potum prefatis ac faciendo ordinari et aptari vasa siue tonnas siue Staudas pro potu prefato melius conseruando per quosdam de prefatis scolaribus vel alijs quibus commodius visum fuerit sic quod pro suo labore Succentori vna stopa et Campanatoribus similiter vna stopa Scolaribus autem singulis diebus quinque stope prefati potus distribuantur Et ne ex huiusmodi elemosinarum largicionibus supranominati pauperes siue scolares pro tempore stomachari intumescere et exinde insolencias detestandas committere procliuiores reddantur Correccionem et refrenacionem quorumcunque circa huiusmodi delinquencium ipsi domino Hermanno adhuc in humanis superstite Post decessum vero ipsius nobis et Capitulo nostro specialiter reseruamus Sic tamen quod si aliquem uel aliquos ipsorum delinquencium per subtraccionem huiusmodi elemosinarum puniri contingat quod eedem elemosine alij vel aliis pauperibus de quibus ipsi domino Hermanno vel ipsis dominis de Capitulo post ipsum visum fuerit plene et absque aliqua diminucione substancie qualitatis et quantitatis largiantur vsque ad emendacionem condignam delinquencium predictorum Qui quidem pauperes qualescunque fuerint debebunt ipsam Elemosinam a Scolis recipere tamquam a loco ad hoc apropriato neque debebit ista proprietas a Scolis aliquomodo removeri Ceterum Magistro pistorie nostre qui pro tempore fuerit ut circa huiusmodi diligencius exequenda accuracius sit asstrictus tamquam conseruatori huiusmodi pie voluntatis Singulis annis vnam Marcialis et aliam Tonnas cereuisie Conuentualis nostre cum adiuncta media tonna Commensalis potus secunde cereuisie iuxta morem Capituli nostri pro suo labore de Braxatorio nostro recipiendi concedimus facultatem Preterea ut omnia et singula premissa inviolabiter obseruentur tenore presencium statuimus et ordinamus quatinus de pecuniis huiusmodi In primis deputentur Septuaginta quinque marche bone pro tribus marcis boni perpetui census comparandis pro cerciori expedicioni elemosinarum predictarum Relique vero Centum marche superstites ad depositum Capituli nostri deponantur talibus condicionibus et pactis quod quicunque dominorum electus fuerit ad officium Pistorie nostre sicut in Capitulo nostro sancti Agapiti martiris fieri consueuit dentur in parata pecunia Centum marche bone super prouisione anni futuri facienda Quodque anno sequenti si alius eligetur totidem presententur eidem uel si continuabitur aput se retinebit easdem pro simili prouisione facienda Et pro cautela maiori adicimus quod si quis Magister Pistorie circa restitucionem huiusmodi Centum marcharum pro vice sua negligens fuerit et sua culpa quod ex tunc pena arbitraria Capituli plectendum se submittat moderamine tamen huiusmodi domino Episcopo qui pro tempore fuerit reseruato. Hec autem ut fidelius et striccius futuris perpetuis temporibus obseruentur iussimus per Nicolaum Joachim Notarium Capituli nostri Matricule nostre inscribi ac eciam deinde vnum uel plura fieri publica Instrumenta Acta sunt hec Anno Indiccione mense die hora Pontificatu et loco quibus supra presentibus ibidem honorabilibus et discretis viris videlicet Jacobo Hessen Conrado Hunthoubt et laurencio Theodorici vicarijs perpetuis in Ecclesia Warmiensi Testibus ad premissa vocatis et requisitis In maiorem quoque euidenciam premissorum Ipsum Instrumentum Sigilli nostri maioris sub appensione fecimus munimine roborari.

Sig. Notarii. *Et ego Nicolaus Joachim Clericus Warmiensis dyocesis publicus sacra Imperiali Auctoritate Notarius Quia dictis pie voluntatis ordinacioni et disposicioni Stipulacioni et Promissioni omnibusque alijs et singulis premissis que dum sic ut premittitur coram prefato venerabili Capitulo agerentur et fierent vna cum prenotatis testibus presens interfui Eaque omnia et singula sic fieri vidi et audiui Ideoque publicum hoc Instrumentum exinde confectum per me et conscriptum signo et nomine meis solitis et consnetis consignaui In fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum Rogatus pariter et requisitus.*

II.

Excerpta ex Actis Praetorii Brunsbergensis.

Archiv. curiae Brunsberg. 84.

1. Fol. 43 B. (1370):

Allen erbaren luten dy dyse schrift an sehen vnd horen lesen den thu wir kunt vnd beczugen das mit dyser kegenwertegen schrift an dem Jare als man schribt M°CCC° an dem LXX jare an dem suntage nach zcwelften[1]) *quomen vor vnsen sitzenden rat zcum brunsberge mit beratem mute dy erbarn lute dy hy nach geschriben stan, zcum ersten heynrich von der lyndenow mit synen brudern dor zcu dy swester mit eren vormundern uf eyne syte, dor nach heynrich schotele unser mitteborger vnd ayn teyl syner vrunde mit ym uf dy ander syte vnd bekanten alle gliche eyntrechtlich vnd sprochen vor vns das sy mit eynander vbir eyn getragen hetten eyner berichtunge von aller sache wegen dy heynrich von der lyndenow mit synen brudern vnd mit synen swestern, mit heynrich schotelen hetten zcu sachen, were liplich vnd vruntlich bericht vnder yn geent vnd gelent mit sogetanen vorweeten vnd vnderscheyt, were is sache das petir von der lyndenow heynen bruder wolde prister werden so solde heynrich schotele ym geben zcen mark zcinses oder hundert mark pfennige zcu eyner Vicarie bynnen der zcit das her zcu der schule get, zo zal her ym geben klayder vnd kost. Wil her durch lernunge willen vs dem lande zcien, zo sal heynrich schotele al jar ym senden sechs mark pfennige. Welde her sich der pristerschaft vorzcien vnd begeben. so solden dy vormunder dy sy zcu beyden syten vor vns genanet han vnd hy nach in vnsem denkebuche geschriben stan des geldes sich vnderwinden nach heynrich schotelen tode vnd helfen do mite den negisten weme is not were, das solde geschēn nach eyntracht der vormunder, des nante petir von der lyndenow syne vormunder vf dy eyne syte, synen bruder heynen von der lyndenow Io beuernig vnd Mertyn ade, so nante heynrich schotele zcu vormundeschaft der sache vf dy ander syte Thile schotele hans schotelen son hinrich schotelen son vnd Mertyn ade.*

2. Fol. 8 B. (1382):

Anno domini MCCCLXXXII in die margarethe Do quam vor vns her herman van hermanstorf vnd heyne Dytmar vnd plastewik haben gegeben vnd getan LX mark van blydeleuendis Kind wegen nyclaus, vor dis gelt sal her dis Kint halden an koste vnd an cleydrin vnd czur schule dar czu sullen si hermanno geben yo des iares eyne mark czu hulfe, wen is beyden vordruset oder her dis kint nicht lenger halden wil so sal her dem kinde ader sinen vormundern die sechczig mark vsrichten vnvorserct, vnd entlife im der iunge sal man is im abeslan nach der czit[2]).

3. Fol. 50 B. (1381—1383)[3]):

Vns ist wissentlich das der schulemeyter (sic) *Heinrich Witte vor her Johan ede vnd vor her Johanne bodyker bekante dy van des rates geheyse czu ym wurden getan, das syn vater gerung witte yn wol hat beczalet alles das her yn scholdig was das yn beyde genugete, dar mite sint si geschichtit vnd gescheyden.*

4. Fol. 51 B. (1388):

*Item anno domini MCCCLXXXVIII in dominica infra ascensionem domini do quam vor vns hannus van thorav vnd bekante das her scholdig ist rotcher prangen son IIJ*ᶜ *mark vor sines vaters erbe das ym sin stiffater hat redelich abegekoufet mit willen der vormunder als her tyle schottel vnd claus mergenborg vnd mit rate der negisten vrunde, di her haben uf sines vaters erbe also czu beczalende, yo des Jares XXX mark also lange das di drittehalb hundert mark beczalet werden vnd hannus sal den Jungen czur Schule halden vnd in koste vnd mit cleydern czitlich hir bynnen in der stat vnd wen der Junge beczalet ist, so sal her sin eygen .... haben.*

---

[1]) H. e. die solis post Epiphaniam.
[2]) Eadem paucis mutatis fol. 9 A. leguntur.
[3]) Quae praecedunt, anno 1381, quae sequuntur, anno 1383 scripta sunt.

5. Fol. 58 (1397):

Anno domini M⁰CCC⁰XCVII⁰ in dominica post festum concepcionis marie do quamen vor vns dy vormundere Gruneueldis kindere als Gotschalk sutor vnd claws radike mit claws tymmen der kindere stifvater vnd haben eyntrechtlich bekant das der vorgenante Claws tymme hat rechte erbeschichtunge vnd teylunge getan synen stifkindern van eres vater rechte aneual Also das her dy kinder sal halden VIII jar mit grawen kleydern vnd schuen. Vortmer ist das sache das der jvnge by der schule blibet, was her bedarf czu buchern vnd czu schulegelde das sal man vsgeben van synem eygenen gelde. Dornoch wen dy VIII iar vmme syn gekomen zo sal her den kindern geben vnd vsrichten XXX mr. vnd das sullen sy haben vf alle jres vater gute vnd do mete ist jre sache geendet vnd gelendet.

6. Fol. 22 B. (1403):

Ordnungk pfarherren.

Wissentlich vnd offenbar sy alle den kegenwortigen vnd czukunftigen dy disse schrift sehen horen ader lesen daz eyne berichtunge vnd eyne eyntracht ez gescheen czwischen dem herren pfarrer czum Brunsberge h' niclos Beme genand uf dy eyne site vnd czwischen dem rate vnd der gemeyne van der stad wegen dar selbist uf dy and' site also das dor czu sint gekoren czwene Erbar mane als here diterich van ulsen vns's h'ren Bischoffs officialis in den gecziten uf des pfarrers site vnd h' heinrich flucke uf des rates vnd uff der gemeyne site . . . .

. . . .

Item wen der rat einen nugen schulmeister ader eynen nugen glockener setzet vnd sy den belibet haben zo sullen sy deme vorg' h'ren pfarrer boten senden vnd offenbaren Im daz sy dy vorg' ämechte vorlegen haben vnd bitten jn daz ez syn wille sy vnd das hat h' voryawort vor dem sitczinden rate daz h' dowider nicht sprechen wil vmme guter eyntracht wille vnd so wil d' rat den vorg' ämechtis luten bevelen daz sy dem pfarrer gehorsam vnd bequeme sullen syn mit allen dinghen dy van alder gewonheit czu d' Kirchen haben gehort . . . .

. . . .

Alle disse vorg' artikel hat d' vorg' h're pfarrer gelibet vnd voryawort vor dem sitczinden rate anno domini M⁰CCCCIII proxima feria VI post nativitatem XPI.

7. Fol. 36 B. (1413):

Anno domini M⁰CCCCXIIJ⁰ In dominica post festum kathedra petri do quam vor vns hannus Rudinger vnd bekante das her syme stifkinde jorgen genant schuldig js van syme vetirlichen erbe LX mark pfennige dy sal her deme vorgenant kinde vsrichten vnd geben als nv vordan von sente petirstag ober X Jar vnd das selbige kint sal her dy X jar vry halden in der koste vnd sal is besorgen mit cleydern vnd mit schuen als eyne gewonheit is. Vortmer ap dy vormundere das vorgenante kint wolden in dy schule lasen geen was das kostet is sy von quatempergelde ader bucher czu kowffen ader ander vngelt was czu der schule gehoret das sullen dy vormundere von des kindes gelde usrichten vnd beczalen dis haben des kindes vormundere als her Claws truncżeman vnd hannus Rudinger vorgenant gelibet vnd voryawort vor dem sitczinden Rate.

8. Fol. 74 B. (1426):

Anno dni MCCCCXXVI proxima VI feria ante festum sancti martini confessoris siue episcopi do quam vor vns N. ponnaw vnd bekante vor vns mit gutem freyem wille das syn elich kynt lodwig genant vor seyn muttirlich anefal sal haben vf seynem hawsze vnd vff allen synen gutern LX mark gutes geldes vnd dorczu sal her das selbige kynt VII Jar in der kost vnd mit gewonnilichen kleydern halden vnd ouch sal her das kynt in die Schule gehen loszen vnd alle czugehorunge schigken vnd ouch alles vngelt vsstahen das vf des kyndis gut ist reysende vnd wenne dy VII Jar vmmekomen so sal her des kyndes vormunder dy LX mark awsrichten vnuorworren.

9. Fol. 95 B. (1436):

Anno dni MCCCCXXXVI sexta feria post Apolonie virginis ist vor vns gekomen dy Erbar frauwe Margaretha voysanssche mit sampt dem Erbar mann Michel Stortzbecher der ir eliche man ist

den sy in vnsir kegenwertikeit czu vormunder hot gekoren, vnd hot vor vns eyns mit Im in vormundeschafft bekant von gutem willen das sy in der obengenanten Jarczal in der Mitwoche vor Apolonie hot gethan Iren elichen kindern Alse Bartolmewes vnd Jeronimus erpschichtunge vnd teilunge — — — vnd der obengenante Michel Storczbecher sal dy kindir in der Schule mit dem vngelde das daruff geen wirt vsgenomen dy grose bucher vnd das quatirtempirgelt halden vnd dorczu allirleye scharwerg dy VIII iar obir thun Sunder scholgelt sullen vssteen dy kindir.

10. Fol. 160 B. (1458):

Von den buchern dy aus der libraria gesant worden her Thomas Werners sone[4]).

Anno LVIIJ° (sc. MCCCCLVIIJ) Sexta feria post Natiuitatis christi worden desze czwee bücher geschugt vom Burgermeister her Matheo vochs her Rotcher Rudingern vnd her Johanni Reberge, alze mit Namen lectura Nouella, de regulis Iuris, vnd Franciscus Petrarcha de euentibus utriusque fortune, vor czwentczig vngerische gulden nicht vmb das geldes willen, sünder ab sy vns von der hand qwemen, das sy andere czwee bücher In sulcher forme weder yn dy libraria antworten sullen, welche bucher hans kawnithe hat empfangen vnd gut dorvor würden ist. Des hot en dy Thomas wernersche vort geloubet schadelos zcu halden vnd ym alle ere güter dorvor zcu pfande gesaczt. — Czu wissen die schickunge der bucher. Das eine alse lectura nouella, das anheben des buches ist, Non est nouum, vnd dis buch hot czwee theil, das irste Capittel des andern teyles 1. secundi libri, de summa trinitate, das ander Capittel, des selbigen andern buches, de penitencijs et remissionibus, vnd also steet an dem ende des buches, Expliciunt distincciones domini Johannis de calderini decretorum doctoris cum regulis Juris Capitulum ultim. regul. utile non debet per invtile viciari. Item Francĩscus petrarcha das ander buch hot hundert vnd czwee vnd czwentczig Capittel vnd das leczte Capittel ist benumpt De spe vite eterne primi libri, Das ander teyl des andern buches hat hundert vnd XXXI capittel, das leczte deszes andern teyles ist benumpt de moriente qui metuit insepultus abici, cum addicione Registri Capitulorum etc.

Anno etc. LXXX quinto am Dinstage noch Inuocauit seynn disse II Bucher widder obirantwort durch den Ersamen herrn Sander von loyden.

III.

Magister generalis ordinis Teutonici (Paulus de Russdorf) capitulo Warmiensi indicat, sibi cum Polonorum rege de rebus agendum esse, quae sine sapienti consilio et institutione non satis bene componi possint, itaque rogat, ut Arnoldus ecclesiae Warmiensis praepositus legatos comitetur. Dat. Marienburg anno (1431. die 18. Dec.)

Archiv. capit. Warm. L. 21. nr. 2.

Hoemeister
deutschs ordens

Ersamen etc. Wir . . . . thun euch czu wissen, das wir czu dem tage, der durch des Koniges von Polan vnd des herrn Grossuesten czu (Lett)awen rethe, uff den nestkomenden unsir frauwen tag wirt gehalden werden czum Ruwschenbriske etdliche unsir gebietiger senden mussen, vnd nach deme als es denn mit den Sachen, die man aldo wirt handeln, ist gelegen, So besorgen wir vns gros, das man die ane wolgelarter Rath vnd anweysunge nicht wol beleiten moge. Umb deswillen wir euch mit sunderlichem fliesse groslich bitten, das Ir mit herren Arnoldo euwirm Thumprobste bestellen vnd en Bitten wellet, das her mit den oben berurten Gebietigern czu dem tage czihe vnd en des besten rathen helffe, das wir ken euch allen vnd sunderlich . . . . wo wir mogen vnd sullen gerne wellen vorschulden. Und uff cziet die unsirn werden vsczihen (wellen wir) de(m he)rren Th(umprobst) be czieten . . . . thun czu wissen, so das her sich mit sieme czog (richte).

Geben (czur) Marienburg am dinstage vor (T)hom(e). Im . . . . XXI[5]).

Den Ersamen herren (Lan)dprobste vnd ganczem Capittel der Thumkirchen czur (Frauwen)burg tag vnd nacht ane sumen.

Gegan von Marienburg (v)om d(ins)tg vor Thome noch mittag hora Xma.

Gekom̄ vnd gegeben vom (elbin)g (am) Mittwochen dornoch vormittag hora IIJa.

---

[4]) De Thoma Wernero, Thomae Werneri consulis Brunsbergensis filio, cf. pag. 9 not. 58.

[5]) Reliquae epistolae eadem manu scriptae, quarum complexu haec continetur, anno 1431 datae sunt.

IV.

Capitulum Warmiense episcopo suo (Lucae Watzelrode) indicat, fuisse coram se ad ipsius literas secundarias fratres Culmenses (h. e. fratres communis vitae) ac rogasse, ut sibi facultates darentur ad erigendam scholam; sed praeter locum ad scholam idoneum se nondum quidquam iis assignare potuisse. Dat. apud eccles. Warm. anno 1501. die 25. Jan.

Archiv. episc. Warm. D. nr. 65. fol. 24.

Debitis reverentia et obedientia premissis, Rme Pater, fuerunt coram nobis ad scripta ut asseruerunt secundaria paternitatis vestre presentium ostensores fratres de Culmen[6]*, Petentes sibi consignari aliquem locum pro scola erigenda, cum provisione in hiis necessaria. Designavimus quidem et ostendimus eis locum ad scolam hujusmodi congruentem, quo conspecto eundem acceptarunt, preterea alium locum spatiosum pro eorum habitatione ipsis concedi petiverunt, quem hac vice ipsis designare nequivimus. Super emolumentis rectori scolarum et collaboratoribus suis ministrandis nichil certi assignare potuimus, ex causis coram Rma vestra dominatione allegatis, prout singula clarius ex ipsis intelliget paternitas vestra Rma, quam altissimus pro regimine statuque ecclesie Warmiensis incolumem diu nobis conservare velit, rogamus. Datum apud ecclesiam Warmiensem prefatam die lune vicesimaquinta mensis Januarii Millesimo qningentesimo primo.*

E. r. p. vre devoti prepositus Decanus et Capitulum ecclesie Warmien.

Reverendissimo in Christo patri et Dno Dno Luce dei et apostolice sedis gratia Episcopo Warmiensi dignissimo majori nostro colendissimo.

V.

Lucae Watzelrode episcopi Warmiensis cum consulatu Elbingensi de monasterio S. Brigittae deque constituendo studio universali (h. e. literarum universitate) actiones, quae continentur codice archivi episc. Warm., qui inscriptus est Memoriale episcopi Lucae fol. 200 inter annotationes anni 1509.

In negocio Monasterii s. Brigitte in Elbing[7]*.*

Durante furore Magni belli in terris prussie, quod contra cruciferos agebatur, Consiliarii terrarum confisi patrocinio beate Birgitte pacem se obtenturos, emiserunt communiter votum, ut fertur, de erigendo in honorem beate Birgitte Monasterio in oppido Elbingensi. Ad quod obtenta pace quidam cives Elbingenses nonnulla praedia et possessiones contribuerunt, inter quos nonnulli habentes in obligatione a Regia Majestate, uti asseruerunt, villas Neukirche, Karschaw et Krebisdorff, jus suum in eisdem Ma. ad erectionem Monasterii predicti contulerunt, inducentes Kazimirum Regem, ut dictas villas hujusmodi Monasterio condonaret: quas quidem contulit, in quantum Monasterium ad effectum deduceretur: Sin vero minus, reservavit sibi facultatem disponendi de eisdem. Sub hac dotatione introducti fuerunt quidam fratres et sorores ordinis beate Birgitte in Elbing, viventes sub regulari disciplina ejusdem ordinis: Sed cum sufficientem provisionem non habuerunt — nullus enim praeter Regem et Elbingenses quippiam pro erectione Monasterii erogavit — relicto loco abierunt. Quo facto Consulatus se intromisit de administratione villarum, prediorum et possessionum predictarum. Quod Lucas Episcopus Warmiensis iniquum esse ratus exegit rationem hujusmodi administrationis, a qua multiplici tergiversatione longo se tempore subtrahebant, adacti tandem ad eam faciendam censuris ecclesiasticis, sed quia aliqui cives, quibus commissa fuit administratio, decesserunt, ratione administrationis sue vel non conservata vel negligenter relicta in Regestis suis, non potuit Consulatus absolutam facere rationem. Cum vero proventus dicti Monasterii non sufficerent pro sustentatione fratrum et sororum dicti ordinis, recusabant iidem fratres sepe a domino Episcopo requisiti redire ad locum predictum. Cujus occasione Lucas Episcopus impetravit a Rege Sigismundo tres villas prefatas pro ecclesia sua perpetuis temporibus: postea tamen cum Consulatu Elbingensi et Consiliariis terrarum prusie consultationem habuit de constituendo universali studio in civitate Elbingensi, veluti per hoc civitas ipsa, praeter alia multiplicia commoda, ex inopia et paupertate resurgere posset, ad opus tam egregium dictas villas se daturum promittens, operamque suam navaturum pollicitans, ut munificentia Regis huic insigni operi accederet,

[6]) De fratribus illis Culmensibus (fratribus communis vitae) cf. pag. 9 not. 57.
[7]) In margine haec leguntur: „Ad mandatum dni Epi L. insertum.“

placuit in praesens ea res, sed paulo post displicuit. Ecclesiam etiam collegiatam erigendam ibi suadebat, sed Consulatus abnuebat. Et in odium earum rerum, que Episcopus pro utilitate Civitatis predicte moliebatur, fratres tres et totidem sorores prefati ordinis multis promissionibus, consentiente tandem Episcopo, ad Monasterium Elbingense reduxerunt, sub spe contributionis a Regia Majestate ipso (sic) *Monasterio in sui constructione fientis* (?). *Quo facto Lucas Episcopus villas tres sepe dictas restituit Monasterio apud ipsum, donec fratres et sorores in eo sub regulari vita manserint, permansuras.*

Addenda et Corrigenda.

Pag. 4 lin. 23 sqq. verba „Similiter — adhortentur" ex Docum. II. 2 sqq. corrigenda sunt.
„ 4 not. 9 lin. 1 pro „pag. 61" lege „pag. 21."
„ 4 not. 14 „Item. Es soll — — sollen." Discrepant haec scribendi ratione ab excerptis, quae p. 12 protulimus; sed ex antiquiori documento translata videntur.
„ 5 not. 25 lin. 4 post verbum „camerarium" adde „Nicolaum Gerke de Hogenberg."
„ 6 not. 36 post 294 adde: 300. 317.
„ 7 not. 43 adde: „Cf. not. 36 et 50."
„ 9 not. 58 adde: „Cf. etiam Document. II. 10."
„ 10 docum. I. lin. 6 pro videlicet domini lege domini videlicet.
„ 12 docum. II. lin. 18. 19 pro ade lege ede.

In priori huius commentationis parte, quae Indice Lectionum hiemalium 1857—58 continetur,

pag. 5 not. 9 adde: „Cf. Wölky et Saage, Cod. d. Warm. I. 216 p. 370."
„ 6 lin. 21 delenda sunt verba: „et capituli — declaratum"; item not. 17 et 19; item p. 7 lin. 1 verba: „Tylo — commemoratur."
„ 7 not. 20 lin. 3 pro „quaeritur" lege „queritur."

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Mich. Jos. Krüger, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Zachariae et Malachiae vaticinia interpretabitur diebus Mercurii et Veneris hora IX—X.
II. Evangelium secundum Marcum synoptice exponet diebus Martis, Jovis et Saturni hora IX—X.
III. Epistolas pastorales Paulinas explicabit binis per hebdomadem horis definiendis.
IV. De vitis et scriptis Patrum Apostolicorum disseret binis per hebdomadem horis definiendis.

Dr. Andr. Menzel, P. P. O.

I. Apologeticen tradere perget diebus Lunae et Jovis hora II—III, et die Veneris hora X—XI.
II. Doctrinam de universorum creatione deque angelorum et hominum lapsu explicabit die Lunae, Martis, Mercurii et Jovis hora X—XI.
III. Repetitiones dogmaticas moderabitur die Saturni hora X—XI.

Dr. Andr. Thiel, P. P. O.

Romam profectus hoc semestri lectiones non instituet.

Lic. Ant. Pohlmann, P. P. E. Des.

I. Ethicae christianae partem alteram tradet diebus Martis, Mercurii, Veneris et Saturni hor. VIII—IX.
II. Repetitorium exegeticum instituet horis definiendis.
III. Exercitationes syriacas continuabit horis definiendis.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Franc. Beckmann, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Aeschyli Agamemnonem interpretabitur aut drama Sophocleum ter per hebdomadem hora IX—X.
II. Minucii Felicis Octavium explicabit aut commentationem Ciceronianam bis per hebdomadem horis definiendis.
III. Historiae literarum Graecarum conspectum tradet bis per hebdomadem hora IX—X.
IV. Exercitationes philologicas instituet semel per hebdomadem hora definienda.

Dr. Laur. Feldt, P. P. O.

I. Exercitationes geometricas moderabitur, et Theoriam sectionum conicarum explanabit diebus Lunae et Jovis hora XI—XII.

II. Calculum differentialem et integralem simul cum applicationibus docebit diebus Lunae et Jovis hora II—III.

III. De Chronologia et de Calendario Juliano et Gregoriano disseret diebus Martis et Veneris hora XI—XII.

IV. Climatologiam docebit et usum instrumentorum meteorologicorum ac praxin observandi ostendet diebus Martis et Veneris hora II—III.

Dr. Joann. M. Watterich, P. P. E.

I. Saeculi decimi tertii et decimi quarti res enarrabit quater per hebdomadem hora matut. VIII.

II. Historiam Angliae tradet bis per hebdomadem hora matut. VIII.

III. De rebus Wisigothorum disseret bis per hebdomadem horis definiendis.

Professor philosophiae lectiones indicabit, quum advenerit.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca Lycei, cui praeest **Prof. Dr. Feldt,** diebus Lunae et Veneris h. XI—XII commilitonibus patebit.

Apparatus physicus et instrumenta mathematico-astronomica quum ad lectiones adhibebuntur, tum aditus suo loco petentibus lubenter dabitur.

Stipendium Scheill-Busseanum.

Unus tantum e commilitonibus, at judicio sano et egregia dictionis disputationisque forma usus de re monastica, qualis ante Benedicti Nursiensis aetatem fuerit, libellum obtulit: quem licet non ab omni parte ad artis historicae praecepta elaboratum Ordo Theologorum praemio dignissimum esse judicavit. Schedula resignata praebuit nomen auctoris

Francisci Dittrich, stud. theol.